

PRAEFATIO BEATI RHENANI AD

Adrianus in pio

C. Vrsinus Velius. ris angustia, ut uirtutes tuas hic deprædicem, quas non solum Morauia suspicit, sed & tota Germania admiratur, neque enim latere potest uirtus. Volumen illæ non exiguū desiderent. Quanquam has C. Vrsinus Velius uir cum ob morum grauitatem, tum ob insignem literaturam non im merito tibi charus, quem utriusque linguæ exornat peritia, felicissimum in pangendis carminibus, in oratione soluta admirabilē, & Huttenus eque stris ordinis apud Germanos ingens ornamentū, ac Ioachimus Vadianus, & clarissimus uir Ianus Dubrauius quo tu nunc à consilijs uteris, iam pridem dignissimis æternorum monumentorum præconijs immortalitati consecrauerunt. Meretur id eximia liberalitas tua, quam sic in uiros doctos exerces, ut ueteris illius Meccenatis laudem omnium calculis proxime tibi uendicaris. Suffecerit autē uel hoc unum incōparabilis prudentiæ probitatisq; tuæ euidētissimū argumentū, quod indytus Hungariæ rex Ludouicus in maximis regni negocijs tuum plerumq; exquirat consilium, & in aulam suam huius rei gratia saepe te euocat. Quidni autē id faceret filius, cuius pater egregiam Turzonum fidem ac prudentiam iam olim exploratam habuit, & beneficijs non contemnendis liberaliter exornauit? Sed cupis fortassis audire quo nam pacto Tertulliani lucubrationes ad me peruenerint. Audi, rem paucis explicabo. Prosequebamur anno superiori eximium illum ciuilibus prudentiæ & optimarum literarum antistitem Vdalricum Zasiū, cum sodalitatibus literariæ salutandæ gratia Seletstadium uenisset, Colmariam usque, quò cum uenissēmus, insignem illum bonorū studiorū fautorem Dn. Jacobū Zimermanū illic Decanum adiuiimus. In cuius bibliotheca libris exquisitis instructa, forte uetustum quendam codicem arripui, nōnulla Tertulliani continentem opuscula, quem is ex Paterniaco Transiurano cœnobio cōmodū attulerat. Hunc cum me uideret auidius euoluere, libenter pro suo candore permisit ut mecū auferrem. Deinde cum paulopost agerem Argentorati, intellexissēmq; Thomam Rappiū uirum cū primis integrum & literatū ad Thermas Hercinias quas uulgus Syluestres appellat proficisci uelle, rogauī hominē ut Hirsaugiense cœnobium quod illinc non multum abest, adiret, & Tertulliani uolumina quæ illic extare acceperam, ad nos commodato deferret. Is cum amore nostri tum adiuuandi literas studio, negocium id lubens suscepit. Atque (audi fortunā) uix dum biduum fuerat in Thermis, cum Reuerendus Abbas Hirsaugiensis cœnobij Benedictinæ familiæ eximiū decus unā cū Venerabili patre Nicolao Basellio nō tam integritate morū quàm nō uulgari literarū cognitione sanē quàm celebri, illuc quoq; lotum uenit. Quæ res effecit ut facilius impetraret quod uolebat, consuetudine uidelicet & cōubernij & conuictus fermē menstrua intercedēte, & Basellio uehementer annitente ut uotis

consilium regni episcopi

Vnde uenit Tertullianus

V. Zasius.
Iacobus Zimermanus decan. Colmariensis.
Paterniacum.
Th. Rappius.
Hirsaugiense cœnobium.
Nicolaus Basellius.

Vnde uenit sic Tertullianum ex duobus cœnobis